



Theophili Raynavdi Societatis Iesv Theologi, Opera Omnia

Tam hactenus inedita, quàm alias excusa, longo Authoris labore aucta & emendata : Accessit Tomvs Integer Complectens Indices Septemdecim in vniversum Opus, omnium quotquot prodierunt locupletissimos, Qvibus Absolvts Divinae Av Humanae Eruditionis Thesaurus Orbi literato aperitur ; Adiectus est ...

Raynaud, Théophile

Lugduni, 1665

Capvt III. Quàm neccessarius fuerit Christi aduentus, ad perfectæ illius satisfactionis exhibitionem, & liberationem nostram.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-79561](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-79561)

uo suo consilio mortem inuexit, quod exitiale venenum homini per dogma immisit. Qui ergo mortis imperium dissoluit, potestatem in capite serpentis sitam, sicut ait Propheta, collisit. Reliqui vero serpentis tractus, per humanam vitam dispersi, quamdiu humanitas motibus ad prauitatem vergentibus est obnoxia, cortice peccati vitam exasperant. Ac potestas quidem eorum mortua est, cum nimirum caput sublatum sit. Cum vero tempus praterierit, & ea quæ mouentur, subliterint, in ea videlicet, quam expectamus, vitæ consummatione, tum etiam extremum inimici volumen, hoc est, mors, exolecet: atque ita in vniuersum bellua hæc, siue nequitia, de medio tollitur. Eodem planè modo in hanc rem philosophatur Gregorius Nyssenus orat. de Christi Natiuit.

Breuitulus capitis, & usus doctrina.

83. Attexo summam doctrinæ huius capitis. Christi satisfactio & prout meritoria præmium adæquauit, iuræque obinuit, & prout præse satisfactoria, omnibus perfectæ satisfactionis conditionibus, cum generalibus tum peculiaribus eius quæ Deo pro peccatis debetur, instructa fuit. Quin etiam spectato quoque iustitiæ rigore, & quatenus meritoria præmium illi propositum, & quatenus præse satisfactoria, iniuriam pro qua exhibebatur excessit, quippe valoris immensæ, & à persona infinitè digna prodians. Ideoque nostra per Christum liberatio, quantum est ex parte ipsius, vnde cumque plena fuit, & saluans cum effectu, quoscumque partem per Christum salutem, sibi ipsis applicare, & eam quæ de sunt Christi passionum in seipsis adimplere non piget.

Vsus doctrinæ esto, quem Origenes proposuit hom. 6. in Ierem. initio, agens de Dei Verbo. [Quid mihi prodest si descendat in mundum & ego ipsum non teneam?] Idem plenius hom. 11. sub medium. [Illa manifestè de Salvatore dicitur: *Heu mihi quoniam factus sum, sicut qui colligit stipulam in messe, & sicut colligans racemos in vindemia, cum non super sit botrus ad manducandum primitiua: Heu mihi anima quia periit reuertens a terra, & qui corrigit inter homines non est.* Omnes in sanguine indicantur. Venit enim ut mceret fructus, & quasi stipula in segete reperta, propter plurimos peccatores, ait: *Heu mihi quoniam factus sum, sicut qui colligit stipulam in messe.* Venit vindemiare botros vna in hominibus, & in messe sceleribus inuentis, dicit: *Et sicut racemos in vindemia, cum non super sit botrus vna ad manducandum primitiua.* In alio quoque loco similia his ad Patrem loquitur, dicens: *Quæ utilitas in sanguine meo, dum descendo in corruptionem?* Quid tantopere hominibus profui, qui nec in sanguine meo, quem fudi pro eorum salute profecerunt: Quæ utilitas in sanguine meo, dum descendo de cælis, dum venio in terram, dum contumeliis afficior, dum porro corpus humanum? Quid his omnibus dignum inter homines perpetratum est: *Quæ utilitas in sanguine meo, dum descendo in corruptionem: Numquid confitebitur tibi pulvis, aut annuntiabit veritatem tuam?* Tale ergo est quod in Ieremia dicitur: *Heu mihi mater mea, quare me genuisti virum.*]

Quantus item nobis hinc ad amorem incensissimum stimulus existat, egregie considerant S. Edmundus in speculo Ecclesiæ c. 1. initio. [Cogitabis (inquit) de misericordia Dei nostri, quia voluit homo deuenire & mortem pati pro nobis in sua humanitate, cum alio modo potuisset nos redemisse; & totum hoc nobis fecit, ut sibi attraheret nostrum amorem. Nam si vnus esset noster Creator, & alius noster Saluator, tunc plus amaremus nostrum Saluatorem, quam nostrum Creatorem. Ideo voluit noster Creator, esse noster Redemptor & Saluator, & pati in suo corpore totum nostrum dolorem, & emereri totum nostrum amorem.]

Magna denique hinc seges admirandi varias Dei perfectiones, in hac Dei pro nobis satisfactione conspicuas. Nyssenus breuiter præcipuas complexus est in oratione Catechetica cap. 23. in fine. [Vides (inquit) quemadmodum cum iustitia coniuncta sit bonitas, & sapientia non sit ab eis separata. Quod enim per indumentum corporis excogitauit ut capi posset Diuina virtus, ne pro nobis suscepta dispensatio impediretur metu sublimitatis, omnia simul ostendit; nempe bonitatem, sapientiam, & iustitiam. Voluisse enim dare salutem, est testimonium bonitatis. Quod autem tanquam ex contractu fecit redemptionem eius qui tenebatur dominatu Dæmonis, ostendit iustitiam. Quod autem id quod capi non poterat, subtiliter excogitans effecit, ut capi posset ab inimico, id aperte summam arguit sapientiam.]

CAPVT III.

Quam necessarius fuerit Christi aduentus, ad perfectam illius satisfactionis exhibitionem, & liberationem nostram.

84. Hoc igitur extra controuersiam posito, quod verè Christus propter liberandos homines venerit, eiusque quantum est ex se, exuberantissimam & superabundantem redemptionem parauerit; excutienda sequuntur quæ dicebam in controuersiam vocari posse: illudque in primis, quanta fuerit aduentus Christi necessitas ad liberationem nostram, eo præcipuo modo quo peracta fuit; hoc est, interueniente vera & perfectæ satisfactione pro nobis, qualem proximè expressimus.

Absolute loquendo, poteramus absque Christi satisfactione liberari.

Et absolute quidem simplicitérque loquendo, non est dubium quin potuisset Deus si illi ita visum esset, extra Christi sui procreationem, & solo nudo se liberare, condonata planè gratis, iniuria; & beneficiis gratia quotquot per Christum accipimus, vltro concessis. Hoc videtur planè exploratum. Nam Deus est perfectè Dominus bonorum suorum, cæque elargitur, quibus & quomodo lubet. Itaque haud dubiè potuisset gratiam sanctificantem aliæque supernaturales bona hominibus per Christum concessa, exclusis licet meritis Christi, concedere: & eo ipso, conciliatus hominibus fuisset. Neque enim gratia diuinæ sanctificantis erogato, cum perseverantia iniuriæ non condonata cohereret. Quare absolute loquendo poterat homo liberari absque Christo, per solam Dei nutum benignæque in nos voluntatem. Docent hoc passim Patres.

Splendide S. Athanasius orat. 3. contra Arian, sub finem. [Sed poterat (aiunt) Deus, etiam si Saluator creatura existeret, vel loqui tantummodò, & ita soluere maledictionem. Istud ipsum etiam iis ab alio quopiam obtrudi poterit. Poterat etiam sine vilo aduentu Christi, solummodo loqui Deus, & soluere maledictionem. Cæterum spectandum est hic, quid hominibus sit utile, non, quid situm sit in viribus Dei. Siquidem poterat etiam ante ædificatam arcam Noë, eos qui prauaricati fuerant, interimere: sed tamen non, nisi ædificata arca, illud facere sustinuit. Poterat etiam sine Mose domtaxat loqui, & sic educere populum ex Aegypto, sed vtile erat id per Moysen fieri. Poterat sine iudicibus conferuare populum; sed erat ex re populi, suis temporibus indicem exurgere. Poterat etiam ne semel quidem venire Deus: aut si venisset, non tradi Pilato; sed tamen sub consummationem seculorum venire; & cum ad mortem quæretur, seipsum indicauit: *Ego sum* (inquiens.) Quod enim

trium facit, id ipſum & vtile eſt hominibus, & aliter fieri non deuit. Porro, quod vtile & decorum eſt, id cura ſua & providentia inſtruit.]

85. Nazanzenus orat. 9. Alloquens Iulianum tributorum prefectum, cum propoſuiſſet quacumque Chriſtus pro nobis paſſus eſt, quodque ad tributi quoque poſſitatem demulſerit ſe: [Hæc (inquit,) Saluator fecit, idque cum voluntate ſola nobis vt potè Deum ſalutem affere poſſet, quemadmodum & vniuerſam rerum Machinam ſolo iuſtu atque imperio procreauit. Manus autem, & ad iocundum pudorem accommodatis nobis contulit, nempe commiſerationem atque honoris æqualitatem.] Idem priore ad Gledonium epistoſa ſua orat. 11. Impugnans Apollinariſtas indicantes creatam in Chriſto animam. [Quod ſi his rationibus prohiberi eò conſugunt, vt Deum remota etiam mente, homini ſalutem afferre poſſe dicant, quid etiam poſſit remota carne per ſolam voluntatem, quemadmodum alia quoque omnia, citra corporis operam operatus eſt, & operatur? Quare cum inuenire eam quoque tolle, vt plena & perfectæ tibi ſit remeſſitas.]

Autor ſermonis de natiuitate apud S. Cyprianum. [Miror in hac diſpenſatione tanti diſpendia temporis, & cauſas proceſſus ad obedientiam Saluatoris. In hoc poterat patriari negotium & poterat tantus labor adhiberi ad ſolum Chriſti verbum; ſicut factus eſt, & diſpoſita cuncta ad eius imperium. Sed elementatio mundo dignior eſt rationalis homo, quod ex eò quod in eius ſeruitium facta ſunt omnia, facile credatur.]

Theodoretus, ſub ſinem: ſexti contra Græcos. [Erat quidem illi (Deo) faciliſſimum, vel citra hoc humanæ carnis inſolentiam, humani generis ſalutem perficere, ſolæque voluntate, mortis poteſtatem diſſoluere, ac penitus abolitum reddere matrem mortis iniquitatem, partemque illius diabolum de terra facie proſequi, ad inferni tenebras relegare, quibus & paulo poſt eorum peccatum, interminatus eſt, ſe illum macturum eſſe. Cæterum offendere noluit, quid potèſtati ſuæ liceret, ſed potiùs quid æquitas providentiæ poſſideret.]

86. Baſilius Selenciæ orat. 39. [Cum imaginem reſurgere ſtaruiſſet, & carnem immortalitate donare, tantum induit, rem congenerem medicamine congeneri curaturus. Fit homo perfectiſſimus, vt homini quem conſiderat, plenam perfectamque ſalutem afficeret. Nam cum generis noſtri primordia propter peccatum fuiſſent prædamnata, altero fuit opus Autore impeccabili, & omniſatæ iuſtitiæ perfectore, cuius beneficio totum corpus cum capite reconcinatum, cum hominibus iterum coniungeretur; vt quemadmodum in Adam ſumus mortui, ſic in Chriſto viuamus. Potuit enim iſ, qui conſilij ſui rationes ſolo nutu perficit, ſalutem conferre ſine Incarnatione: ſed naturam quæ peccati offenſione, deſecta fuerat, in ſe ipſo meliorem ſuperioremque peccato voluit ostendere, quo peccatum in omnes propagaret, mortiſque dominationem, hoc eſt diabolum, vitibus exhauret.]

Satis ex Græcis Patribus. Latinos audiamus S. Leo ſerm. 14. de paſſ. initio. [Omnipotentiæ Filij Dei, quæ per eandem eſſentiam æqualis eſt Patri, potuiſſet humanum genus à dominio diaboli, ſolo imperio ſuæ voluntatis eruere, niſi diuinis operibus maxime conſueſciſſet, vt nequitie hoſtis aduerſitas, de eo quod vicerat, vinceretur & per ipſam materiam naturalis repararetur libertas, per quam generalis fuerat illata captiuitas.]

S. Auguſtinus ſerm. 19. de Sanctis. [Corruptum peccatis originalibus & actualibus mundum, mundi conditor ſecreto & mirabili conſilio, per myſterium Ver-

Theoph. Raynandi Chriſtum.

bi Incarnati, eiſdem mundi lapſum voluit reparare. Qui eo verbo quo potuit de nihilo cuncta creare potuit quæ perſita fuerant reformare. Ipſe namque dixit & facta ſunt, ipſe mandauit & creata ſunt.] Et mox. [Si tantum iuſtus eſſet, cuius ſapientia attingit à fine vſque ad finem fortiter, & diſponit omnia ſuauiter, potuiſſet ſua fortitudine aduerſus ſeducatorem generis humani contendere, & ouem perditam ad gregem reductam, dominio ſuo reſtituere. Sed hoc modo videtur eminentiam tantum ſuæ virtutis oſtendiſſe, non medicinalem miſericordiam impendiſſe redemptis: nec appareret quanta charitate creator creaturam diligebat, à qua ſe diligendum eſſe multiplici beneficio experebat, quatenus miſer homo, præcedente gratia, obtineret etiam per meritum, quod ei male merito, rependebatur in debitum. Quod ergo Dei ſapientia potuit facere ſapienter & fortiter, voluit facere ſuauiter, vniens ſibi inſimilitatem carnis noſtræ, quam primò in ſe ſanaret, & per hanc quaſi medicinalem confectionem generi humano ſanitatem reſtitueret. Non quod non potuerit aliter fieri quantum ad peritiam & potentiam medici; ſed quia non potuit commodius Antidotum procurari, quantum ad complexione agroti.]

87. Eucherius hom. 6. de paſch. propoſita obiectione quorſum Deus ſit factus homo quaſi non potuiſſet ſolo nutu nos liberare, Reſpondet: [conditio humana, quæ per peccatum primi hominis tenebatur obnoxia, non imperio erat eruenta, ſed pretio. Potuit autem Filius Dei, hoſtem humani generis, & in cælis poſitus, nutu ipſo ſuæ Diuinitatis eludere: ſed ne quid tale, (vt ſuperius diximus,) à diabolo conſequi poſſet, placuit Deo ſecundum iuſticiam ſuam, pro humano genere offerre hominem purum & immaculatum, ſegregatum à peccatoribus.] Similia iterat ibidem hom. 9. & 11.

S. Gregorius 20. Mor. cap. 26. [Pietatis formam mediator nobis Dei & hominum dedit. Qui cum poſſet nobis, etiam non moriendo concurrere, ſubuenire tamen moriendo hominibus voluit: quia nos videlicet minus amaſſet, niſi & vulnera noſtra ſuſciperet: nec vim nobis ſuæ dilectionis oſtenderet, niſi hoc quod à nobis tolleretur, ad tempus ipſe ſuſtineret. Paſſibiles quippe mortalesque nos reperiit, & qui nos exiſtere fecit ex nihilo, reuocare videlicet etiam ſine ſua morte à paſſione potuiſſet. Sed vt quanta eſſet virtus compaſſionis oſtenderet, fieri pro nobis dignatus eſt, quod eiſe nos voluit; vt in ſemetipſo temporaliter mortem ſuſciperet, quam à nobis in perpetuum fugaret. An nos in Diuinitatis ſuæ diuitiis, nobis inuiſibilibus permanens, miris non potuit virtutibus ditare? Sed vt ad internas diuitias rediret homo, foras apparere dignatus eſt pauper Deus.]

S. Edmundus in ſpeculo Eccleſ. c. 23. [Cogitabis de miſericordia Dei noſtri, quia voluit homo deuenire, & mortem pati pro nobis in ſua humanitate, cum alio modo potuiſſet nos redemiſſe, & totum hoc nobis fecit, vt ſibi attraheret noſtrum amorem.] Vide quæ ſuperius adducta ſunt cap. 1. monſtrando Dei erga nos amorem in Verbi incarnatione. Cæterum in hoc S. Edmundi loco, & in quibuſvis ſimilibus, Redemptio ſumenda eſt pro liberatione. Nam Redemptio quidem propriè accepta, non poterat ſine Chriſto fieri, ſed liberatio poterat, de quæ ea agit aperte S. Edmundus.

88. Gillebertus in altercat. Synag. d. Eccleſ. c. 15. [Si omnia Deus poteſtate quæ vellet, faceret, ubi diſpenſatoria ratio locum teneret? Certe nec Deus homo fieret. Poſſet enim ſpreto rationis ordine, poteſtati imperio, genus humanum Angelis coarquare. Sed ordo iudicij turbatus, ſummæ maieltati rationis libra cuncta æquè diſponenti, occurreret inordinatæ libertati obuius.]

Y 2 Richar

Richardus Victorinus, multus in hoc est, serm. in Die Pasche, *sub initium*. Monstrat enim, Verbum Dei cum posset solo nutu hominem liberare, maluisse amore iustitiae, exacte satisfacere Deo, & ut homines docerentur Iustitiam prae potentia colere: sicut Deus ipse in salutis nostrae procuratore non est usus sua potentia, qua potuisset vno verbulo nos eripere, sed iustitiae consultum voluit.

Claudio cum S. Bernardo serm. 11. in Cant. *in fine*. [Quis digne penset quantae fuerit humilitatis, mansuetudinis, dignationis: Dominum Maiestatis carne indui, multari morte, turpari Cruce? Sed dicit aliquis: Non valuit opus suum reparare creator, absque ista difficultate. Valuit, sed maluit cum iniuria sui, ne pessimum atque odiosissimum vitium ingratitudinis, occasionem ultra repetiret in homine. Sanè multum fatigationis assumpsit, quo multae dilectionis hominem debitorum teneret, commoneretque gratiarum actionis difficultas redemptionis, quem minus esse deorum fecerat conditionis facilitas. Quid enim dicebat homo creatus & ingratus? Grati quidem conditus sum, sed nullo auctoris gravamine vel labore. Siquidem dixit, & factus sum, quemadmodum & vniuersa. Quid magnum est, quamlibet magna in verbi facilitate donaeris? Sic beneficium creationis attenuans humana impietas, ingratitudinis materiam inde sumebat, unde amoris causam habere debuerat; idque ad excusandas excusationes in peccatis. Sed obstrictum est os loquentium iniqua. Luce clarius patet quantum modo pro te o homo dispendium fecit. De Domino seruus, de diuite pauper, caro de Verbo, & de Dei Filio hominis Filius fieri non desepit. Memento iam te etsi de nihilo factum, non tamen de nihilo redemptum. Sex diebus condidit omnia, & te inter omnia: at verò per totos triginta annos operatus est salutem tuam in medio terrae. O quantum laborauit sustinens! Carnis medio necessitates, hostis tentationes, nonne sibi Crucis aggrauavit ignominia, mortis cumulauit horrore? Necessariè quidem. Sic, sic homines & iumenta saluasti Domine, quemadmodum multiplicasti misericordiam tuam.]

Et epistola 190. sic disputat contra Abelardum. [Laborans docere & persuadere, diabolus nullum sibi ius in hominem vendicare potuisse aut debuisset, nisi permissu Dei: Et quod sine iniuria diaboli iure Deus profugum suum si vellet miseretur, repetere, & solo verbo eripere posset, quasi hoc quis difficiatur, post multa aliquando inferre: quae itaque necessitas, aut quae ratio, aut quod opus fiat, cum sola iussione sua, diuina miseria liberare hominem à peccato posset, propter redemptionem nostram Filium Dei carne suscepta, tot & tantas in medias, opprobria, flagella, sputa, denique ipsam Crucis ignominiosam & aspernam mortem sustinere, ut cum iniquis patibulum sustineret, Respondemus: Necessitas nostra fuit, & necessitas dura sedentium in tenebris & in umbra mortis. Opus aequè nostrum, & Dei ipsius, & Sanctorum Angelorum. Nostrum, ut auferret iugum captiuitatis nostrae: Suum, ut impleteret propositum voluntatis eius, Angelorum, ut numerus impleteretur eorum. Porro ratio huius facti, fuit dignatio facientis. Quis negat omnipotenti ad maximum fuisse alios & alios modos nostrae redemptionis, iustificationis, liberationis? Verùm hoc non praedictat huius quem è multis elegit efficaciam. Et fortasse is praestat, per quem in terra obliuionis, grauedinis, lapsus nostri, tot & tantis grauaminibus, reparationis forcius & viuacius admoneremur.] Plura cum possem in hanc rem ex aliis Patribus cumulare, consultò abstinere, quod ista ad institutum satis superque videantur.

Explicantur Patres, visi contrarium sentire.

89. Constat igitur ex Patrum mente, genus nostrum potuisse liberari absque Christi aduentu, rem spectando secundum potentiam absolutam. Quod si alij quidam Patres interdum tradunt, non potuisse hominem liberari à peccato nisi Christus veniret, non ita sunt accipiendi, quasi non potuerit absolute aliter fieri ut à peccato erueremur nisi per Christum: sed sensus eorum est, magis decessisse, hominem de luto fecis per liberatorem Christum eripi, praesertim ne splendor ille diuinorum attributorum quæ in Incarnatione micant, excluderetur. Apertè id vnum voluit S. Maximus centur. 4. ex variis cap. 38. cum dixit. [Non poterat omnino fieri. Ut natura tum spontaneæ voluptati tum coacto dolori subingata, rursus ad pristinam vitam reuocaretur, nisi opifex factus esset homo, vltro suscepto in supplicium spontaneæ naturæ excogitato dolore, non habente præcedentem se naturam à voluptate: ut subiens generationem initium à voluptate non decentem, generationis naturam à damnatione liberaret.] Eodem modo aliquoties loquitur Lactantius l. 4. institut. cap. 24. Contestans fieri omnino non potuisse, ut erudiremur ad vitam, & celesti doctrina imbueremur, nisi per Christum, Deum simul & hominem. S. Athanasius fusè idem versat sub finem libri de Incarnatione Verbi & corporali eius aduentu. Eius autem vniuersa ratiocinatio non aliud probat quam quod dixi, ut legenti constabit, proposita enim Ethnicorum obiectione quod non decuerit Deum corporari, cum posset solo nutu homines exitio subducere, responderet. [Ad istiusmodi obiectionem, id non immeritò dici poterit. Olim cum nusquam quisquam existeret, nutu opus fuisse & sola voluntate ad vniuersitatis Architecturam. Ceterum cum iam homo factus esset, necessitas exigebat, non ut iis quæ non essent, sed quæ iam existerent, remedium daretur. Consequens igitur fuit, ut rebus iam procreatis, medicus & seruator affligeret ad procreata conseruanda. Atque ea causa est cur Deus, homo sit factus, humanumque sibi instrumentum, corpus inquam, adiunxerit.] Vides hanc S. Athanasii ratiocinationem, non plus ferre, quam quod admisi. Denique S. Anselmus qui l. 1. cur Deus homo à cap. 10. latè & copiose probat, impossibile fuisse hominem aliter liberari quam per Christi aduentum, eiusque mortem: Tamen lib. 2. eiusdem operis cap. 5. multipliciter monstrat, nullam inde Deo necessitatem inijci ad sic liberandum hominem, nisi quam ipse volens ac sponte suscepit, cum posset aliis plerisque viis liberare hominem, & opus suum perficere.

Noluit tamen Deum, liberare nos, nisi per Christum, & ita fieri oportuit.

90. Quamuis igitur posset Deus hominem aliter exitio subducere, quam carnem induendo, idque ad eum finem non esset simpliciter & absolute necessarium, tamen diuina sapientia decentius censuit ita fieri. Idque tametsi nos lateret, nec satis perciperemus quorsum esset conuenientius atque decentius, tamen ex praedictio diuinæ summæ sapientiae ita censuit, omnibus ita pronuntiandum esse, tradit egregiè S. Cyrillus l. 8. in Iulian. ad c. 3. his verbis. [Sed fortassis dicent aduersarij: Quare enim omnino & homo factus fuit, & carnem & sordes nostras tulit, licet hoc facile potuerit praestare, (siquidem est verè Deus, sicut contenditis,) annuendo solum, & ineffabili virtute, terrena corda transmutando ut facere vellent & sapere sibi placencia, religiosque viverent? Ad hoc dixerim: Aberrauit igitur à scopo, & indignè egit diuina & incorruptibilis mens: Et non statim dicimus ipsam à

decoro

tate sua facturum opera iusti condigna pro alio, cum ex se talia non essent. Hoc enim fallum esset, quia opera habent ex seipsis, siue ex specie sua ac circumstantijs, condignitate siue valorem quasi in actu primo, quem deforis non emendicant, ac ne à beneplacito quidem diuino. Tantum igitur dico, cum opus sic ex se dignum, posset à Deo acceptari pro pretio gloriæ dandæ operanti, sufficere posse ut Deus nolit opus illud acceptare in eum finem, sed in parem & æqualem; hoc est ut sit præmium gloriæ subiecto externo conferendæ. Sic igitur res habet quoad satisfactionem pro nobis, quatenus meritoriam supernaturalium bonorum. Faten-dumque est, nihil fuisse ad id necesse, Verbum Incarnari, sed puram creaturam diuinis ad id delectam, potuisse salutem nostræ inferuire ad eum modum.

Sed ad præse satisfaciendum Deo, quod pura creatura non poterat, pro peccato mortali proprio.

93. At si sermo sit de satisfactione pro nobis, pro ut est absterio iniuriæ, siue mortalis, siue etiam venialis, siue propriæ, siue alienæ, sic negandum est, puram vltimam creaturam potuisse Deo ad æqualitatem satisfacere; ita ut tantum per satisfactionem eius honoretur Deus, quantum per peccatum inhonoratus est: atque adeo fatendum est, ad huiusmodi satisfactionem pro nobis exhibendam, necessarium profus fuisse, Deum effici hominem, & satisfacere pro nobis. Hæc ut solidè stabiliantur, & de varijs illis punctis quæ simul perstrinximus firmum iudicium feratur, auspicandum est à satisfactione æquali pro peccato mortali proprio, monstrandumque, eam nulli puræ creaturæ tribui posse. Eo enim ritè constituto, facile inferemus idem esse statuendum de satisfactione pro quouis peccato proprio, & multo magis pro alieno.

Non posse igitur creaturam purâ pro peccato mortali proprio satisfacere Deo ad æqualitatem, communissima est Scholasticorum sententia, in 3. d. 20. vel in 4. d. 14. art. 15. quibus locis, Doctores antiqui propè omnes, vel de Christi satisfactione, vel de virtute penitentiae disputantes, in eam veritatem conspirant. Et consentiunt recentiores 3. p. q. 1. art. 2. post D. Thomam ibi ad 2. Videndi præsertim Medina ibi, & Aluar. disp. 7. Ragusa disp. 3. Pelanc. disp. 4. Val. tom. 4. d. 1. q. 1. p. 5. Vega lib. 15. in Conc. cap. 4. Suarez t. 1. 3. p. d. 4. l. 9. & lib. 7. de gratia cap. 14. Pelancus l. de satisfactio-ne sect. 1. Lessius lib. 13. de diu. perf. n. 193. & l. 12. num. 68. Repugnat tamen re ipsa Vasquez 3. p. disp. 2. Quamvis enim ibi verbotenus fateatur, non posse hominem satisfacere pro culpa sua mortali, perfectè & ad æqualitatem, nihilominus ut liquet ex c. 5. eiusdem disputationis, idcirco tantum negat hominem id præstare posse, quia eget prævia Dei miseratione, qua accipiat auxilia indebita ad eudendum supernaturalem illum actum, quo ad æqualitatem satisfacit, supposito eo diuino beneficio gratuito collationis auxiliorum. Nos verò secuti communissimam Theologorum quos adduximus sententiam, etiam supposita tali diuina miseratione, & auxiliorum collatione gratuita, negamus hominem vel de facto satisfacere pro suo mortali peccato ad æqualitatem, vel pro eo sati facere posse, defectu condignitatis & æqualitatis inter quemcumque actum hominis & remissionem peccati, ita ut etiam si femoueamus voluntatem Dei cum actum sibi deposcentis alio quopiam titulo è tam multis quibus illum sibi potest deposcere, verèque supponamus Deum ex pacto prævio actum prædictum admittere in satisfactionem offensæ, propriæ hominis operantis; tamen impar ex se sit ad eam abolendam, nec possit eo assurgere defectu æqualitatis & condignitatis. Quod primum probabo de quouis actu hominis peccatoris, peccato eius statim: deinde idem probabo de quocum-

que actu hominis puri, spectato dimittat actu eius & neglecta consideratione status in quo viuat nunc aut ante vixerit. Sic igitur primum argumentor.

Non enim per actum ipsius peccatoris, siue informis, siue iam formati.

94. Vel actus ab homine peccatore elicitus, quod Deo satisfaceret ad æqualitatem pro peccato suo mortali, esset actus ex nudo gratiæ auxilio elicitus; ita ut spectaretur in illo priori naturæ in quo actus est adhuc informis, & gratiam sanctificantem antecedit tanquam dispositio ad eam: vel certè esset actus gratiæ sanctificantis inuentione formatus eodem temporis momento quo elicitur. Assumo autem in hanc rem perfectissimum actum qui ab homine elici possit, puta dilectionem perfectam, vel contritionem, quibus eodem temporis puncto adiungitur gratia sanctificans. Nam si hi actus nequeant ad expiendam æqualiter & condignè offensam Deo ab homine irrogatam assurgere, multo minus id poterunt alij quilibet, quos constat & imperfectiores, & ad id præstandum multo incongruentiores esse. Vel igitur hi actus satisfacerent Deo ad æqualitatem, & iniuriam diuinam perfectè abolerent, prius natura quam diuina gratia sanctificante formetur; vel postquam ea formari intelliguntur. Neutrum verò dici potest.

Non enim primum; quia si peccator per actum suum pro ut informem aboleret condignè culpam, & pro ea satisfaceret ad æqualitatem, sequeretur primam iustificationem cadere sub merito condignum peccatoris; sin minus totam & integram, ac saltem quoad partiale eius constitutum, nempe quoad remissionem peccati. Hæc siquidem, gratis præmissa remissione penæ illius quæ in auxiliorum subtractione consistit, caderet sub merito condignum peccatoris, & eque ex iustitia deberetur: quia vnusquisque ex iustitia tenetur iniuriam remittere, si ei æqualis satisfactio exhibeatur; ita ut etiam si non teneatur redintegrare amicitiam, teneatur tamen nihil ultra repositum pro iniuria illata, sed eam condonare debeat, & obliuiscatur velle, ut probauit l. 3. de virtut. num. 290. Igitur Deus ex iustitia adigeretur remittere noxam peccatori exhibenti contritionem, pro ut natura anteriorem gratia sanctificante: quod petinde est ac dicere, peccatorem suo illo actu sic spectato, mereri remissionem peccatorum, quæ est partialis mutatio, integrans iustificationem. Hoc autem videtur aduersari Concilio Tridentino, quod sess. 6. c. 8. statuit nihil eorum quæ iustificationem præcedunt, condignè mereri iustificationem; quam idcirco docet gratis dari. Præterea actus informis, & non honestatus sanctitate habituali concomitante, est hominis Deo inuili; quod de contritione quoque, & de perfecta dilectione valere, latè monstratum est agendo de iustificatione, reiectis ijs qui contendunt actus illos iustificare formaliter, repugnante non obscure Tridentino, quod eos actus vocat dispositionem ad iustificationem, non autem iustificationem ipsam, vel formam iustificantem. Atqui actus hominis Deo inimici, nõ potest esse apud Deum condignè meritorius; alioqui homo posset condignè sibi mereri primam gratiam sanctificantem, quod constat dici non posse. Igitur actus quilibet peccatoris, pro ut est informis, non potest dici satisfacere Deo ad æqualitatem: quod est primum è duobus quæ probanda receperam.

95. Alterum erat, neque ijsdem actibus, pro ut formati sanctitate habituali illis coniuncta in posteriori natura, tribui posse quod ad æqualitatem, atque adeo condignè & ex iustitia, expient propriam culpam mortalem. Id verò facillè euincitur. Nam actus hominis ad eum modum formatus, est actus personæ Deo gratæ, proindeque

proindeque iam nitetur & à peccato exsoluitur. Qua igitur ratione poterit suam à peccato exsolutionem mereri quam iam habet? Concessio quidem meritis aut meriti potest tempore antecedere pretij aut meriti exhibitionem, ut cernimus in gratia antiquis Patribus concessis, ob merita Christi subsecutura: sæpeque inter homines idem vsuatur in venditionibus credito factis. At hæc non possunt habere locum circa culpæ propriam remissionem, quasi quis eam mereri possit iam credito factam: quia ex quo debitum aliquod per libentem donationem, pure & absolute ac simpliciter, non sub conditione quapiam fuit dissolutum, evanescit cunctos quilibet iustitiae ad repetitionem eius. Deus autem offensam grauem sibi à peccatore irrogatam, sine peccati mortalis maculam tollens, abolet eam pure & simpliciter; nec apponit remissioni conditionem ullam operis postmodum ponendi, qua non impleretur remissionis beneficio qui illud acceperat, sed absolute & pure delet peccatum. Igitur attempto statu hominis elicientis actum sanctitate formatum; impossibile est, actum illum esse satisfactionem æqualem pro gravi culpa ipsius hominis.

Hæc perscriptum quomodo cumque, actum hominis.

96. Sed dimisso argumento quod ex statu hominis ducitur, vergeamus conditionem nostri cuiuscumque actus, cum per se spectando, ac seorsim à conditione operantis, quod receptam fore secundum principale argumentum in hanc rem: Potest verò sic concipi. In iniuria admittitur in aliquem, crecit principaliter ex dignitate personæ offensæ, & ex vilitate personæ offendente. E contrario autem satisfactio, crecit principaliter ex dignitate personæ satisfaciens; & ex eiusdem vilitate minuitur, sitque despiciatur. Atqui peccatum mortale quod quis admittit, est grauis iniuria, summæ maiestati irrogata per personam nihili: Actio verò quocumque eadem persona exhibere potest, siue quamdiu sordet peccato, siue postquam emaculata est, tamque per gratiam colluctat, est actio personæ admodum vilis, & Deo disproportionabiliter inæqualis. Impossibile igitur est, actionem illam esse satisfactionem iustam, & æqualem pro peccato graui talis personæ. Huius argumenti singulæ propositiones videntur perspicue. Ad maiorem tamen huius veritatis firmitatem, operæ preterit videntur, eas breuiter & roborare & illustrare.

Maiestas personæ læsæ à tenuiore, augeat iniuriam, minuit satisfactionem.

Maior igitur aperte videtur liquere ex ijs exemplis humanis quæ superius tacta sunt, declarando excessum satisfactionis à Christo exhibite, & ab Aristotele quoque proponuntur 5. Eth. c. 5. Nempe rustici qui Principem læserit; & e contrario Principis, qui plebeium & vile caput violarit. Communis enim prudentum sensus fere, rustici noxam in Principem, longè tetriciorem & indigniorem esse Principis delicto in rusticum, ob dissimilissimam vtriusque gradum qui violatur eum persona. E contrario autem satisfactio Principi exhibita à rustico, pro iniuria quæ eum violarit, debet esse longè maior quam qua Princeps violato à se rustico satisfacere tenetur. Nam Princeps si vel verbum humile proferat, quo subitum motum excuset, censetur cumulare satisfecisse personæ vulgari; quia ob status sublimitatem, qualiscumque Principis deiectio, saltem verbo expressa, habetur magna. At rusticum, si vel verbo violarit Principem, necesse est suspensio addici, vixque ea ratione culpam eluet, sed tantum ibi fuisse multa, quia non est quo ulterius progrediatur humana vltio. Itaque maior proposita, videtur perspi-

cua, eamque latius stabiliunt Suarez lib. 7. de gratia cap. 14. à num. 62. Albertions 1. princip. compl. in q. philosoph. dub. 3. & Ragusa 3. p. disp. 3. nequicquam reclamante Valque 3. p. disp. 2. cap. 3. qui ex eo negat iniuriam crescere ex magnitudine personæ offensæ, satisfactionem autem ex dignitate satisfaciens, quod per se loquendo, par sit furtum eiusdem summæ, siue in Regem siue in priuatum admittatur, & à quocumque admittatur: nec plus restituendum sit, si sit Rex qui eam summam furto subduxit, quam si sit plebeius. Hoc dico perperam obijci aduersus maiorem propositam. Nos enim hoc loco non agimus de iniuria in rebus, quæ per restitutionem compensanda est: sed agimus de iniuria propriè dicta, siue de nuda iniuria, sumptu seorsim à damno dato, quæ per satisfactionem reparatur. De huiusmodi itaque iniuria, videtur certum quod in maiore argumenti propositi dicitur: quia quod persona offensæ est dignior, & persona lædens vilior; & e contrario quod persona satisfaciens sublimior est, & persona læsa, depressior; eò maior inæqualitas inducitur in actus, cum offensæ, tum satisfactionis, ob personarum improprietatem. Quare maior argumenti propositi, rata esto.

Deus læsus, & homo in eum grauius iniurius, infinitè distans.

97. Nec minus fixa debet esse minor, cum quoad grauitatē iniuriæ per mortale peccatum illatæ Numini, cum quoad nostrorum quorumvis operum improprietatem cum ea iniuria. Nam peccatum mortale, esse grauem Dei iniuriam, per se liquet, & monstratum sufficienter est supra. Nullis verò operibus nostris abstergi posse eam maculam, ostenditur ex tanta Dei læsi, & hominis lædents ac satisfacere nitentis inæqualitate & improprietate. Et sanè si de homine peccatis adhuc obliuio agatur, cuiusmodi est is qui pro culpa mortali propria nondum remissa conatur satisfacere, nemo non videret quanta sit eius vilitas, & ad Dei maiestatem improprietio. Si autem agatur de homine iam iusto, (quamuis iste nequeat ultra satisfacere ex iustitia, pro iniuria liberaliter iam dimissa;) tamen verissimum quoque est, nullam eius actionem posse esse proportionatam ad æqualem pro peccato satisfactionem, etiamsi offerretur ante iniuriam remissam, & colluctaret omni illa dignitate quam accipit ex quo persona est Deo grata. Licet enim personæ status, conferre multum possit ad augendam vim actus meritoriam, & idcirco verum sit, cum in homine iusto esse meritorium gratiæ sanctificantis, quam ante non merebatur, tamen vis satisfactoria perparum crecit ex dignitate iusto collata per gratiam, quia creatura pura, quantumvis grata, semper manet creatura; hoc est infinita capidine distans à dignitate Dei læsi, nec habet infinitatem aliquam diuinæ proportionalem; quæ tamen omnino necessaria esset ad constituendam æqualitatem inter offensam & satisfactionem. Quin etiam quantumvis creatura pura spectetur ut operans ex Christi meritis, seu prout Christi membrum, non idcirco eius satisfactio habenda est æqualis: de quo immerito seorsim ac specialiter à quibusdam quaesitum est, ut à Suarez t. 1. 3. p. d. 4. s. 12. Nam peccator, etiam prout membrum Christi, seu prout persona Deo per gratiam meritis Christo partem coniuncta, non potest pro peccato suo ad æqualitatem satisfacere, quam si gratiam ex alio fonte hausisset; cum homo etiam sub consideratione membri Christi, sit pura creatura, cuius satisfactione vidimus æquari non posse offensam irrogatam Deo: Imò non desunt Theologi, qui cuiuscumque actui hominis puri, quomodocumque spectato, negandam censuerint rationem satisfactionis imperfectæ, pro graui peccato proprio. Quod quamuis mihi non probetur,

betur, quandoquidem homo per actus ex gratia elicitos, compensat diuinam iniuriam quantum potest, quod ad rationem qualiscumque & imperfectae satisfactionis abunde est, ut recte contra praedictos Scholasticos statuit Val. 3. p.d. 1. q. 1. p. 5. Suarez t. 1. 3. p.d. 4. l. 1 o. & Vasq. 3. p.d. 2. c. 7. Tamen inde licet coniectare, quam vilis quamque abiecta visa sit Doctoribus non ignobilibus, omnis nostra satisfactio pro peccato mortali proprio, quantumque abfuerint ab admittenda eius aequalitate cum offensa.

Infertur quaecumque hominis satisfactionem, esse graui ipsius erga Deum iniuria, inadaequabilem.

98. Perspicua ergo manet conclusio quam ex duabus praemissis proxime tractatis inferebamus: Nempè quod impossibile sit, satisfactionem peccatoris pro graui peccato suo, esse aequalem & perfectam: siue peccator ille sit iam ab eo peccato emundatus, siue adhuc eo fordeat. Meritoq; sanè Lessius l. 1 3. de diu. perf. n. 191. tractans sententiam quam impugnamus, ait eam semper sibi visam esse valde mirabilem. Incredibile namque videri quod afficiat aduersarius, nempè contritionem vel dilectionem super omnia, quam peccator Deo in suae mortalis offensae satisfactionem exhibeat, compensare exquisitè malitiam illius peccati, cuiusque foeditatè per se ac suapte natura eluere, non minus quam lux abolet tenebras, eo quod tales actus non minus sint boni & Deo accepti, quam peccatum fuerit malum & Deo iniustum, quandoquidem aequè idem actus circa Deum versantur ac peccatum, imò peccatum ferè non nisi interpretatiue Deum impetat, contritio autem & dilectio, directè tendant in Deum, eique propter ipsummet, hominem mancipent quantus quantus est. Ex quo nò modò par malitiae & bonitatis vtrorumque actuum modulus erui videtur, sed etiam bonitatis excessus in contritione & dilectione, supra malitiam peccati. Hoc merito Lessius indicat esse incredibile, & mihi etiam inopinabile videtur, vel si vnum illud toties iam rege- stum exemplum Principis & Plebeij tenuit expèdatur. Quis enim rusticum capitalis in Principem noxae reum, dicat ex aequo iniuriam compensare, si doleat de tam atroci iniuria, aut Principem diligat? Multo itaque minus fas est, id affirmare de satisfactione pro iniuria interrogata Deo. Falsum verò est, & alibi plenè reiectum, quod hi actus per se & suapte natura eleuant formaliter labem peccati, ita ut sit impossibile eam non tolli posita contritione, vel Dei amore super omnia. Itè siue verum sit, siue falsum, quod tanta sit horum actuum bonitas quanta fuit peccati malitia, quodque per eos peccator tantoperè aut etiam magis ad Deum conuertatur, quam per peccatum ab eo auersus fuerit, siue inquam haec vera sint, siue falsa, de quo nunc tritari non libet; negandum tamen omnino est, inde sequi contritionem & dilectionem tam valere ad satisfactionem, quam valuit actio mala ad iniuriam inferendam. Ratio enim offensae & satisfactionis, petenda principaliter est ex conditione personarum, non autem ex physica entitate actuum, vel morali eorum qualitate ex alijs capitibus ducibili: quia in morali aestimatione actuum prout habentium rationem iniuriae vel satisfactionis, physica illa aut etiam moralis aequalitas non attenditur. Estque planè exiguum quid, diligi Deum à creatura sua infinitis nominibus ipsi obstricta, cum è cōtatio maximum sic planèque indignissimum, rem tantulam post tam vberes largos beneficiorum imbres, caput extrulisse, & insurrexisse in Deum, infinito amore & obsequijs dignissimum ac proinde à contemptu qui in peccato cernitur infinita remouendum. Nolo rem per se perspicuam amplificare dicendo, sed ut iustus horror

tantae turpitudinis concipiatur pauca verba Isidori Pelusiotae ex lib. 5. epistola 472. repraesentare non omit- tam. [Deum (inquit) summè honorandum offendisse, omni supplicio damnoque grauius est exili- mandum. Non equidem tantum fore ex sup- plicijs do- lorem existimo, quantum erit pudor ex peccato, contra glorificantem, commissio pronens. Sed & anima ipsa, quibus fuere honorati contra ipsum mouentes, & honore contra honorantem videntes deprehendi, om- nem id superat furem. Illud quidem incomparabilem amenciam, hoc verò incurabilem etiam continet fauorem.]

99. Fixum itaque esto, satisfactionem ex iustitia sitè aequalem ab homine pro graui peccato proprio repen- dendam, esse supra quascumque vires peccatoris, etiam diuinitus adiuti, atque adeò peccatum mortale, esse ab intrinseco item insibile ex iustitia: ed quòd l'cet Deus pro sua benignitate, maculam illius absterget, tamen impossibile sit, ut peccator aequalem pro ea satisfactio- nem exhibeat. Ideòq; attentis legibus diuinæ iustitiae, quae verant peccatum admissum absque iusta satisfactio- ne dimitti, necesse foret; peccatorem ex quo se in- quinauisset graui facinore, perire in aeternum, nisi beni- gnitas Dei miserantis, idoneum fideiussorem extrinse- cum adhibuisset, qui quod puro homini impossibile erat; satisfactione sua expleret. Vnde Angeli ex quo peccarunt, sine spe resurrectionis ceciderunt, quia Deus eos cadentes non apprehendit, ac veluti retraxit ex altis- sima voragine in quam praecipites acti sunt summo peccati pondere, & ut pulcherrimè tradit Ildo, Pelus. lib. 3. epistola 33. granissimo plumbi talento ad inferos vsque depriente. Hanc tantam mortalis peccati atrocitatem, vti nam cogitant mortales, liberarentque attentè ac serid. Haerent haud dubiè, aut etiam hor- terent, quoties eius admittendi vel cogitatio subiret animum.

Extenditur resolutio, ad satisfactionem pro leui peccato proprio.

100. Nunc quod de peccato mortali proprio haec- nus constitutum est, omnem scilicet hominis pro eo satisfactionem esse inaequalem, & iustitiae canonem erga Deum non expleri, extendendum est ad proprium peccatum veniale, cum: Petro Soto lect. 8. de poenit. tamen repugnant cōmuniter, qui nobiscum steterant pro inaequalitate satisfactionis ab homine exhibendae ob suum graue peccatum: Putant enim secus esse de veniali, ob eius leuitatem. Ita Suarez t. 1. 3. p.d. 3. l. 1. concl. 1. Praepositus 3. p. q. 1. n. 28. & Ragusa 3. p. d. 7. Verum si principiis circa mortale peccatum proximè iactis insistimus, facendum consequenter erit, non posse hominem ad aequalitatem satisfacere pro suo veniali peccato. Sic enim argumentari licet. Iniuria per vilem personam interrogata personae infinitae dignitatis, (Cuius- modi est iniuria quam homo Deo irrogat,) est impropor- tionabilis per satisfactionem personae vilis: cum valor satisfactio- nis petendus praecipuè sit ex personae satisfaciendae dignitate, quae quantumlibet fingatur eminere in homine qui Deum laeserit, nullius vnquam momenti erit per comparationem ad Deum, ut supra plenè expositum est. Atqui peccatum veniale, est vera & proprie dicta iniuria Dei. Est enim essentialiter pec- catum, ad cuius quidditatem pertinet esse iniuriam nu- minis, ut supra suppositum est, indicatis locis quibus id probauimus. Et quamvis sit iniuria levis, praè mortali atrociori & longè grauissima, est tamen absolutè non exigua, & vt Saluianus egregiè ait l. 6. agens de culpa Ose de qua Paral. 13. hucque bellissimè transferri po- test, [quod videbatur exiguum esse culpa, grande hoc faciebat Diuinitatis iniuria.] Moxque subdit cau- dum diligentiissimè esse, [ut nihil leue aestimetur, quo-
Deus

additis, illud suum fecerit, epist. 83. ad Palas. & 97. ad Leonem Augustum, & serm. 12. de Passione. Sic igitur habet S. Causus. [Effusio pro iniustis, iusti sanguinis Christi, tam fuit diues ad pretium, ut si vniuersitas captiuorum in Redemptorem suum crederet, nullum diaboli vincula retinerent: quoniam sicut Apostolus ait: *Vbi abundauit peccatum, superabundauit & gratia*. Et cum sub peccati praedicio nati, potestatem acceperint ad iustitiam renascendi, validius factum est donum libertatis, quam debitum seruicatus, Quam itaque sibi in huius Sacramenti praesidio spem relinquunt, qui in Salvatore nostro negant humani corporis veritatem? Dicant, quo Sacrificio reconciliantur, quo sanguine sint redempti. Quis est, ut ait Apostolus, *qui tradidit semetipsum pro nobis, oblationem & hostiam Deo in odorem suauitatis*? Aut quod vnquam Sacrificium sacratius fuit, quam quod verus & aeternus Pontifex, altari Crucis per immolationem suae carnis impofuit? Licet in conspectu Domini pretiosa iustorum mors fuit, nullius tamen insonit occisio, redemptio fuit mundi. Acceperunt iusti, non dederunt, cotonas. De fortitudine fidelium, exempla nata sunt patientiae, non dona iustitiae. Singulares quippe in singulis mortes fuerunt, ne alterius quicquam debitum suo sine perfoluit, cum Filius hominis, vnus solus Dominus noster Iesus Christus, qui verè erat agnus immaculatus, extiterit, in quo omnes crucifixi, omnes mortui, omnes sepulti, omnes etiam sunt suscitati. De quibus ipse dicebat: *Cum exaltatus fuero à terra, omnia traham ad me ipsum*. Fides etenim iustificans impios, & creans iustos, ad humanitatis retracta participium, in illo acquirit salutem, in quo solo, homo se inuenit innocentem; liberum habens, per gratiam Dei, de eius potentia gloriari, qui contra hostem humani generis in carnis nostrae humilitate congressus, his victoriam suam tribuit, in quorum corpore triumphauit.] Agnoscit perspicue S. Causus, agnoscit cum exscribens S. Leo, puram creaturam posse alijs exemplo ad salutem prodesse: Redemptionem, quia satisfactio pro irrogatis Deo iniurijs continetur, à solo Christo, Deo simul & homine, expectandam fuisse.

Concluditur necessitas omnimoda aduentus Diuinae personae, ad satisfaciendum Deo laeso per hominem.

104. Nunc ut ad assertionem hoc capite praecipue intentam veniam, ex omnibus haecenus disputatis perspicue liquere puto, ad finem liberationis nostrae ex iustitia procurandae, & satisfaciendi ad aequalitatem pro nobis, necessarium omnino fuisse, ut Deus creaturae suae hypostaticè iungeretur. Vidimus enim peccatum quodcumque esse ab intrinseco irremissibile ex iustitia; imò nullius purae creaturae vi esse adaequabilem offensam irrogatam Deo per illud peccatum. Ergo ut illa iniuria, ex iustitia & ad aequalitatem compensetur, necesse est interponi Mediatorem extrinsecum, Deum simul & creaturam, qui ponat manum suam in ambobus, ut dixit Iob. cap. 9. quod S. Gregorius ibi, de Mediatore humani generis interpretatur. Quia enim extrinsecus ille Mediator & pacarius, secundum vnā suam naturam, creatura est; potest exercere opera satisfactionis; quae à Deo ut Deus est, non possunt elici: à Diuinitate autem, per Diuinam personam ei creaturae naturae coniuncta, habet ut eius satisfactio sit infinite digna, & aequalis offensae, Deo per alienum peccatum irrogatae, imò ea superior & altior, ut supra vidimus. Et eatenus quidem intercedit remissio & gratia Dei in hac satisfactione, quatenus acceptat satisfactio nem ab alio, quam ab eo, qui iniuriam intulit: tamen nihil inde decessit aequalitati & condignitati satisfactionis semel admissae, ex pacto de ea si offeratur acceptanda. Quate

ad iustam & aequalem pro peccatis nostris satisfactio nem, diuinam alicuius personae cum creatura creata coniunctio fuit absolute & simpliciter necessaria; ita ut impossibile fuerit ad eam reparationem, alia quacumque via deueniri.

Consultò dixi, *Necessaria absolute ad id fuisse diuinam alicuius suppositi coniunctionem cum natura creata*; Nec praecise dixi *necessarium fuisse Verbum incarnari*. Nam aequè potuisset satisfieri Deo pro nobis, si Pater aut Spiritus sanctus fuisset incarnatus; vel si alteruter eorum, naturā Angelicam assumpsisset, quā satisfactio sit per Verbum humanatum. Aequè enim infinita fuisset, & aequè acceptari potuisset satisfactio Patris aut Spiritus sancti, natura quapiam creata contenti, etiam si Angelica, ac ea satisfactio quae per Verbum carnem factum, est exhibita. Afirmat quidem S. Anselmus lib. 2. cur Deus homo cap. 6. & 22. hominem non potuisse Deo reconciliari, nisi per hominem Deum; ut idem ipse qui laeserat, satisfaceret; saltem in natura eiusdem speciei. Tamen sensus D. Anselmi dumtaxat est, congruentius fuisse assumi naturam humanam, quam Angelicam; etiam si satisfactio per naturam Angelicam exhibita fuisset aequè idonea quoad aequalitatem & aequè iusta. Alij vero plerique Patres, cum affirmant hominem non potuisse aliter iuste reparari quam per Verbum hominem factum; personam Verbi, & naturam humanam, viiupant pro persona diuina, & natura creata rationali; ut sensus sit, non potuisse aliter pro homine satisfieri; quam si diuinum suppositum terminaret naturam quampiam, ad opera satisfactionis elicienda idoneam, cuiusmodi est sola creata. Quāuis quia de facto illa natura assumpta fuit humana, & suppositum assumens fuit suppositum Verbi, simpliciter dicunt Patres praedicti, non potuisse aliter pro homine satisfieri, quam si Verbum homo fieret, & Deo pro nobis satisfactionem iustam offerret.

Consensus SS. Patrum, circa necessitatem praedictam, eiusque probationem.

105. Sic expositi Patres, astipulantur manifestè veritati quam nunc tradimus; firmantque omnimodam necessitatem Mediatoris extrinseci, ex Diuina suppositualitate & natura creata compacti, qui pro nobis satisfaceret, & inaequalitatem in diuinum ius nostris peccatis inductam repararet. Adduco nonnullorum selecta loca, dimissis plerisque vulgaribus quae passim prostant. Nouatianus lib. de Trinit. c. 18. [Argumentum afferimus vsque ad eodē Christum esse Deum, ut quidam illam subtracto homine, tantummodò putarint Deum; quidam autem ipsum crediderint Patrem Deum; quum ratio & temperamentum Scripturarum coelestium, Christum ostendant Deum, sed quā Filium Dei, & assumpto à Deo etiam filio hominis credendum & hominem. Quoniam si ad hominem veniebat; ut Mediator Dei & hominum esse deberet, oportuit illum cum eo esse & Verbum carnem fieri, ut in semetipso concordiam confabularet terrenorum pariter atque coelestium; dum vtriusque partis in se connectens pignora; & Deum homini, & hominem Deo copularet: ut meritò Filius Dei per assumptionem carnis, Filius hominis; & Filius hominis per receptionem Dei Verbi, Filius Dei effici posset. Hoc altissimum atque reconditum Sacramentum, ad salutem generis humani ante saecula destinatum, in Domino Iesu Christo Deo & homine inuenitur impleti, quo conditio generis humani ad fructum aeternae salutis posset adduci.]

106. S. Basilii in Psal. 48. ad illud: *Qui confidunt in virtute sua*, multa egregie in hanc rem disputat. Aliqua ex eo nonnullis intercisus repraesento. Sic ergo inducit paraphrastice loquentem Dauidem. [Vos (inquit) qui de vestra virtute praesumitis, (hi enim terrigenae cor-

semetipso non debuit, quia nullum culpa contagium perpetravit. Sed si ipse indebitam mortem non susceperet, numquam nos à debita morte liberaret. Pater ergo cum iustus sit, iustum puniens, omnia iuste disponit: quia per hoc cuncta iustificat, quia cum qui sine peccato est, pro peccatoribus dampnat: ut eo electa omnia ad culmen iustitiae surgerent, quo is qui est super omnia, damna iniustitiae nostrae sustineret. (Locus Salomonis quem S. Gregorius profert, in editione vulgata nuper emaculata, aliter habet. Sed mens D. Gregorij, quicquid sit de vera lectione loci Scripturae quonititur, perspicua est, & egregie illustratur ex ijs quae in eandem sententiam addit lib. 18. c. 29. & 30. [Quia verò (inquit) haec sapientia manens cum Patre ante saecula, incarnanda erat in fine saeculorum, ut ad redimendum genus humanum, non sanctos Angelos, non iustos homines mitteret, sed in manifestatione visionis per semetipsam veniret, recte subiungitur; *Non dabitur aurum obryzum pro ea*. Quid namque per *aurum obryzum*, nisi Sancti Angeli designantur? Qui recte, & *aurum* vocantur, & *obryzum*: *aurum*, quia fulgent claritate iustitiae: *obryzum*, quia nullum habuerunt unquam contagium culpa. Homines verò iusti, quamdiu in hac carne corruptibili mortaliter vivunt, aurum quidem esse possunt, obryzum omnino non possunt: quia corpus quod corrumpitur, aggravat animam, & deprimit terrena inhabitatio sensum multa cogitantē.] Et mox. [Aurum ergo obryzum illi nuncupantur, qui in ea qua conditi sunt innocentia perdurantes, & fulgent claritate iustitiae, & nullis, vel minimis maculantur sordibus culpa. Sed quia pro hac sapientia nullus Angelorum redemptor humani generis mittendus fuit, ne quis spem in his quos in adiutorio hominum saepe apparuisse didicimus, Angelis poneret, dictum est; *Non dabitur aurum obryzum pro ea*. Ac si aperte diceretur: Per semetipsam sapientia manifestabitur, ut humanum genus à culpa redimatur. Nullus vice eius Angelus mittitur, quia per creatorem necesse est ut creatura liberetur. Unde & in Evangelio Dominus dicit: *Si vos Filium liberaverit, verè liberi eritis*.]

109. Fulgentius l. de incar. & gratia Christi cap. 7. [Nisi Verbum Deus humanam sibi uniens singulariter natum, ex Virgine homo verus nasceretur, & plenus; numquam nobis carnaliter natis, spiritualiter nascendi conferretur exortus: sed ut carnaliter donaretur divina natiuitas, concepta & nata est in veritate carnis, unigeniti filij divina maiestas. Longè enim fuit à peccatoribus salus: & iniquitates nostrae, magna nos à Deo separatione disunxerant. Et quia in ipsa natiuitate carnis nostrae, mortis vinculo tenebamur obstricti, à quo solius beneficio spiritualis natiuitatis possemus absolui, Deus natus est ex homine, ut ex Deo homines nascerentur.] Et lib. 2. ad Trasim. cap. 2. cum praemississet naturam humanam à Deo cecidisse, subdit. [Inquirendus ergo fuit vnus, cuius esset reformanda munere, informanda lumine, confirmanda virtute, ut aequalitas aeterna iustificaret impiam, instrueret inficiam veritas, virtus firmaret inuolidam. Sed hoc numquid posset homo per solum hominem, aut in solo quolibet homine reperire? Nullo modo. Quis enim homo posset existere medicus humani vulneris, cum omnes in radice vitia communitio circumplecteretur virij naturalis? Vel qualiter posset per se solum medelam vulneratis afferre, cuius ortus teneretur in vulnere? Quòve modo beneficentiae largitor vniuersalis existeret, quem alienae opis indigum natura monstraret.] Subiicit, neque Angelum ad id potuisse sufficere, eo quod ipse quoque esset creatura. Itaque concludit, Deum ad id fuisse necessarium.

110. Rusticus Diacon. dialo. contra Acept. ferè initio. [Si Adam à Diabolo victus, corruptionem nostro intulit generi, oportebat per hominem rursus Diabo-

lum vinari, ut possimus nos incorruptibilis patriicipatione frui. Sed hoc sicut infirma & subiecta seruati acque corruptioni, nostra natura per semetipsam non valebat explere, & à Domino hanc oportebat assumi; sic rursum, sine nostra natura id fieri nec decebat vti que, nec voluit Deus. Non enim per violentiam proposuerat superare Diabolum; aliàs hoc modis omnibus egisset purus, sed deuicto homini voluit praestare victoriam, quod decibilius quam per hanc pulcherrimam vnitionem euenire non poterat: si tamen in tanto mysterio illud impletum credimus, quod aut solum fieri poterat, aut pulchrius celebrari non poterat.]

Petrus Damiani serm. de S. Victore, describens Christum sub specie arboris, cuius primum ramum ait esse Incarnationem Verbi. [Oportebat enim ad redemptionem hominis, ut victus homo victorem Diabolum vinceret; Sed vnde fieret hoc, non habebat. Omnes enim in illo praescripti eramus, & per illum originalis peccati gravitate depressi. Deus autem non debuit, cum potius potentia videretur, si seruum à se recedentem, qui illum subiugauerat, enodaret. Quod igitur homo per se non potuit, Deus per se non debuit; attitit Sapiencia Deum, & hominem collocavit, ut ex parte hominis pro hominibus satisfaceret, & ex parte Dei, superbum sicut vulneratum humiliaret.]

111. Petrus Blesensis carm. de Enchar. cap. 3. *Hostia nulla valens, aut sufficiens satis esset*
Quae deleteret Ada culpam, si Christus abesset.
Nam debebat Adam pro se, nec pauper habebat
Vnde satisfaceret, quem culpa grauis prohibebat.
Ipsa Deus potuit, nec debuit. Ergo necesse
Est, ut homo Deus hoc faciat, sine quo nequit esse.
Huic quia cuncta potest Deus huic & homo quia debet,
Materiam tali facto res vtraque praeberet.
Fuit de naturis eadem persona duabus;
Corporibusque medens nostris nec non animabus.
Hic Deus, hic & homo; duo sunt, vnus vero Christus;
Alter in alterius personam non male mixtus.
Qui cum natura foret immortalis vtraque,
Maeftate sua seruata iustitiaque,
Sponsa Crucem subiit, nisi vellet, non moriturum,
Morie sua vitam nobis sine fine daturum.
Quòdque Deus verus non debuit ex Deitate,
Hicque beatus homo pro iniuria granitate,
Sustinuit tandem fieri diuina voluntas.

S. Anselmus explicatissimè, & ad Scholasticam notam exactissimè l. de redempt. generis humani, praefatus nullam Deo fuisse necessitatem Incarnationis, ita scribit. [Diuina natura humiliari aut laborare non eguit, nec potuit. Haec omnia humanam naturam, ut ad hoc restitueretur, propter quod facta erat, necesse erat facere: Sed nec illa, nec quicquid Deus non est, poterat ad hoc sufficere. Nam homo ad quod institutus est non restituitur, si non ad similitudinem Angelorum, in quibus nullum est peccatum prouebitur. Quod est impossibile fieri, nisi omni percepta peccatorum remissione, quae non fit nisi praecedente integra satisfactione; quam satisfactionem talem oportet esse, ut peccator, aut aliquis pro illo, det aliquid Deo de suo quod debitum non sit, quod superet omne quod Deus non est. Si enim peccare, est Deum exhonore, & hoc homo facere non deberet, etiam si necesse esset quicquid est quod Deus non est, perire; Vti que veritas immutabilis & aeterna ratio exigit, ut qui peccat, reddat aliquid Deo pro honore ablato; maius, quam sit hoc pro quo illum exhonore non debuit. Quod quoniam humana natura sola non habebat, nec sine debita satisfactione reconciliari poterat, si nec illa, nec quicquid Deus non est ad hoc sufficeret. Ne ergo iustitia Dei in regno suo peccatum inordinatum relinqueret; subuenit bonitas Dei, & eam in suam personam

nam aſſumpſit Filius Dei: vt in ea perſona eſſet homo Deus, qui haberet quod ſuperaret, non ſolum omnem eſſentiam, quæ Deus non eſt, ſed & omne deum quod ſoluere peccatores debent: & hoc cum nihil pro ſe deberet, ſolueret pro alijs, qui quod debent reddere non habebant. Pretioſior namque eſt vita hominis illius, quàm omne quod Deus non eſt; & ſuperat omne debitum quod debent peccatores pro ſiſtitione. Si enim Filijs interfectio ſuperat omnem multitudinem & magnitudinem peccatorum quæ cogitari poſſunt extra perſonam Dei; palam eſt, quia vita eius magis eſt bona, quàm omnia peccata ſunt mala, quæ extra perſonam Dei ſunt. Et licet, cur Deus homo cap. 18. redgens in breuem ſummam totum eius opus contextum ſic ſcribit in perſona Boſonis diſcipuli. [Summa quæſtionis fuit, cur Deus homo factus ſit, vt per meritum ſuam ſaluetur hominem, cum hoc alio modo poſuiſſet face- re videretur. Ad quod tu multis & neceſſarijs ratio- nibus reſpondens, oſendiſti reſtaurationem huma- nitatis non debuiſſe remanere: nec poſuiſſet fieri, niſi ſolueret homo quod pro peccato Deo debebat; quod debuit tantum erat, vt ille cum non deberet ſoluere niſi homo, non poſſet niſi Deus, ita vt idem eſſet homo qui Deus. Vnde neceſſe erat vt Deus aſſu- meret hominem in vnitatem perſonæ; quatenus qui in natura ſoluere debebat & non poterat, in perſona eſſet qui poſſet.]

Richardus Victor. lib. de Incarnatione Verbi cap. 8. [Perſpicua ratio docet, quod ſine ſatiſfactione, ho- mo ad plenam reparari non poſſet. Ad plenitudinem autem ſatiſfactionis, oportuit vt tanta eſſet humiliatio in expiatione, quanta fuerat præſumptio in præ- ſumptione. Rationalis autem ſubſtantia Deus tenet ſummum, homo verò imum. Quando ergo homo præſumpſit contra Deum, facta eſt elatio de imo ad ſummum. Oportuit ergo vt ad expiationis remedium, fieret humiliatio de ſummo ad imum. Sed hoc om- nino non poſuit niſi aliqua in Trinitate perſonarum. Item ſi homo per creaturam poſſet quàm per crea- torem recuperare poſſet & recuperaret iuſtitiam, & medietate iuſtitia futura beatitudinis gloriam; nonne de cætero contra excellentiam primæ dignitatis, magis obnoxius eſſet creaturæ quàm creatori, fac- toris quàm factori? Nam plus eſt proſectio iuſtiſica- ti, & beati, quàm creati. Ad plenam itaque hominis reſtaurationem, omnino non ſufficeret perſona quæ Deus non eſſet.]

Alia eiſdem neceſſitatibus probationes, ad- ductæ & reſcictæ.

112. Rarum igitur eſto, agnoſcendam abſque am- biguitate eſſe, ſummam & abſolutam neceſſitatem aſſumptionis naturæ creatæ per diuinam perſonam, ad ſatiſfaciendum iuſtæ & condignæ pro offenſis no- ſtris: quam Deus congruentiſſimè ad naturam hu- manam & perſonam Verbi ſua voluntate reſtrinxit. Alias quaſdam neceſſitatis illius rationes quas pro- fert Auctor tractatus de paſſ. Dom. apud Bernardum cap. 46. inefficaces eſſe, ex dictis liquebit. [Victoria de Diabolo (inquit) & ſi alio modo poſſuit, tamen alio modo impleri non debuit. Multum enim decipit, qui Sapientiam Dei & Domini, aliud aliquid putat, niſi id quod præſtantiffimum fuit ordinari. Neceſſarium fuit, cum per hominem vinci, & per lignum, qui ho- minem vicerat per lignum; vt vnde mors otiebat, inde vita reſurgeret, & qui in ligno vincebat, in ligno quoque vinceret. Quare autem per hominem qui erat Deus, & non per ſimplicem hominem, ſatis ma- niſteſtum eſt; quia omnes homines peccato erant ob- noxi, & non poterat quiſquam aliorum ſoluere vin-

Theoph. Raynaud. Chriſtu.

cula, qui ſeipſum ſoluere non valebat. Chriſtus enim fortis, qui pro originali peccato nihil debebat, eo qui ſingulari privilegio naſcendi ſine omni carnali con- cupiſcentia conceptus erat, qui ſolus eſt inter mor- tuos liber; ſolus à morte poterat mortuos liberare, ſicut ait Apoſtolus; Non habebat neceſſe pro ſe of- ferre Sacrificium quemadmodum alij ſacerdotes, tam pro ſua quàm pro populi ignorantia. Si autem quæ- ritur quare Deus poſſet per ſe quàm per aliquam aliam creaturam, hominem voluit liberare, poſſumus hoc quidem caritati eius imputare; quàm vt nobis com- menderet, non ſolum incarnatus, ſed & mortuus eſt pro nobis. Tradidit nihilominus per hoc formam car- itatis, vt parati ſimus cum neceſſitas exegerit, pro fratribus noſtris animas noſtras ponere, cum regem noſtrum pro nobis animam poſuiſſe videmus. Eſt & adhuc alia rationabilis cauſa, quare per Dominum redempti ſumus; ſcilicet quia nequaquam decuit nos per alium reformati quàm per eum per quem forma- ti eramus. Plus enim excitat nos ad caritatem reforma- tio, ſicut ſapius ſupra dictum eſt, quàm forma- tio. Si ergo per alium quàm per ipſum per quem ſu- mus formati, reformati eſſemus; plus reformati noſtro quàm formati deberemus; & ſic plus dilige- remus creaturam quàm creatorem; quod eſſet incon- ſiſtens. Vt ergo incitaret nos ad diligendum ipſum ex toto corde, ex tota anima, & ex omnibus viribus noſtris, impendit nobis quicquid debuit creando & recreando nos optimus Deus, cuius beneficijs non communicat alienus.] Vides ex dictis, quid in his ra- tionibus nuteat. Nam prima, eſt mera congruentia. Se- cunda aperte falſo principio nititur: quia homo pur- rus, etiamſi innocens, non poſuiſſet pro nobis ſatis- facere. Tertia itidem ratio, non proſert veram radi- cem neceſſitatis de qua agitur. Quare perſpicuum eſt, has rationes non eſſe vſquequaque idoneas.

113. Sanctus item Athanaſius orat. 3. contra Arrian. ſub ſinem, addenſat in hanc rem pleraſque rationes. Cum enim probaſſet poſuiſſe quidem Deum abſque Verbi Incarnatione homines ſaluare, ſed non decuiſ- ſe, vt huius decentiæ rationes aſſigneret, ſubdit. [Ip- ſa rei ratio negotique conditio, hac in parte ſpecta- ri debuit. Si enim ob vires ſuas per quas id poſuit, verbo edixiſſet, & ita maledictio aboleretur, impe- rantis quidem potentia in conſpectu pateret; Homo tamen eiſmodi effectus fuiſſet, qualis Adam ante præuicationem fuerat, extrinſecus accipiens gra- tiam, non autem eam ſuo corpori coagglutinatam tenens. Talis ſiquidem antea fuit quàm in paradifo collocaſſetur: forſitan etiam deterior euafiſſet vpo- tẽ qui iam præuicari dediderat. Quod ſi eueniſſet, vt à ſerpente deciperetur, iterum opus fuiſſet Dei lo- quentis imperio, vt ita maledictio ſolueretur, atque eo modo neceſſitas eius rei immenſum recurreret, & nihilo ob id minus remaniſſent homines obnoxij, ſeruiantes peccato: ac proinde ſemper peccantes, ſem- per opus haberent veniæ condonatore, neque vni- quam illis à vindice ſatiſfieri poſſet, ſemper legi ob carnis infirmitatem ſuccumbentibus.] Et mox. [Ne igitur illud fieret, mittere Deus Pater Filium ſuum, & ille efficitur Filius hominis creaturam carnem aſſu- mens; vt quoniam omnes obnoxij erant morti, ipſe autem alius eſt atque diuerſus ab omnibus; pro om- nibus ſuum corpus morti offerret. Ac deinceps veluti omnibus per eum mortuis, ſermo eius ſcientiæ im- plexeretur: Omnes enim mortui ſunt in Chriſto: om- nes item per eum renaſcuntur, vt liberi iam inde à peccato: & ea quæ per peccatum ſit, maledictione verè permaneant in æternum à mortuis excitati, & immortalitate & incorruptibilitate induantur. Verbo ſiquidem amiſto indutæque carne quemadmodum ſapius oſtenſum eſt, omnis morſus ſerpentis penitus

22 in

in carne extinctus est, & si quid ex carnalibus motibus suppullulabat, rescissum est, pariterque sublata est peccati assecla mors, ut ipse inquit: *Veni princeps mundi huius, & in me non invenit quicquam.* In hoc enim manifestatus est (scripsit Ioannes) ut solueret opera diaboli, quibus solutis omnes ob cognitionem carnis Christi, à carne in libertatem vindicati sumus; ac iam deinde & nos quoque coaptati sumus Verbo. Coaptati autem Deo, non amplius in terra permanemus, sed ut ipse loquutus est: *Ubi ipse est, ibidem & nos futuri sumus*, neque iam in reliquum tempus serpente formidabimus. De his S. Athanasij rationibus pronunciant alij. Mihi ea quam proposui, omnium fortissima, & sola ineluctabilis videtur.

Summella capituli, & usus doctrinae.

114. Summa doctrinae huius capituli, hæc est, Christi satisfactiones quatenus nobis ad æqualitatem meritorias, puræ alicuius creaturæ opera, supplere potuissent. Eisdem tamen quatenus propriè satisfactiones, nulla puræ creaturæ actio, siue pro lethali, siue etiam pro veniali peccato, proprio aut alieno, supplere valuit: ac proinde necessarius planè fuit Christi adventus, ut Dei peccato violati iniuria, æquali satisfactione aboleretur.

Vfus doctrinae est per se evidens, & iam tactus in superioribus; summum scilicet concipiendum esse horrorem peccati, cum eius expiatio condigna, per solam Dei creaturæ suæ sociati abiectionem, posset perfici. Hoc fuisse Deo propositum in delectu talis medij ad abolitionem peccati quod alioqui solo nunc potuisset excindere; observavit egregie, Auctor sermonis de passio. Dom. apud Cyprianum & S. Anselmum lib. 1. cur Deus homo cap. 12. Nunc autem cum recogitamus quantæ sit operæ peccatum tollere, ni mens planè læva sit, facilius ab eo avertimur, & horrore tantum mali haud grauatè tangimur. Et ad vulnus quidem inferendum nobis ipsi iusticimus, ut sæpè deplorat S. Augustinus, ad medelam autem nequaquam, sed robusta Dei manus interueniat necesse est, quam sola Dei ipsius benignitas aduocat, adhibetque ad medendum. Itaque non est tanquam inane quippiam & ludicrum, admittendum peccatum, sed feridè præmeditandum quàm sit operosa eius ablatio quæ non nisi Dei ipsius interuentu perfici potuit.

CAPUT IV.

Quomodo salus nostra ad Christi productionem Deum mouerit; & an fine illo secluso, alius quispiam, Dei voluntatem ad Christum producendum mouisset.

Habemus ex dictis, Christum factum esse propter salutem nostram, tanquam propter finem; non impulsium tantum, sed etiam primum, ad cuius assecutionem necessariò aduenit Christus, si salus diuinis iuribus (ut sanè decebat,) salutis nostræ consulendum, & de remedio nobis proficiendum erat.

Status questionis, de modo quo salus nostra fuit Christi finis.

115. Ut autem hæc Christi causa finalis penitus perueniat, inquirendum superest, quomodo mouerit diuinam voluntatem ad Christum producendum. Quod est querere, an salus nostra fuerit de facto vnica finis aduentus Christi, an verò præter salutem nostram, alius aliquis proximus finis diuinam voluntatem pellexerit ad Christi productionem, siue ille alius

finis fuerit partialis partialitate causæ, siue totalis. Dicitur fuisse partialis, si totus quidem Christus ex illius finis motione productus sit, sed adiuncto alio item partiali fine. Totalis verò dicitur, si salus nostra totaliter Deum mouerit ad Christum producendum, & item ille alius finis. Plures enim fines totales coniungi possunt ad eundem effectus productionem, quia de ratione finis totalis, non est excludere alium finem totalem, sed tantum præbere omnem influxum in hoc genere necessarium ad effectus causationem; siue alia insuper eiusdem generis & ordinis causa ad effectum similiter causandum interueniat, siue non interueniat. Optima autem nota ad finem totalem internoscendum, est, si ita ab eo pendeat effectus, ut quamuis alius finis qui item adhiberi supponitur, excluderetur; tamen effectus quantum ad causæ finalis influxum attinet, æquè produceretur vi eius solius motionis quæ finis iste nunc mouet. Itaque exponendum nobis est, quo ex his modis salus nostra Deum mouerit ad Christi causationem. Hæc est notio propria finis totalis, & germanus status questionis de proximo fine productionis Christi. Quia tamen interdum, laxato vocis usu, finis totalis is dicitur, quo semoto effectus nullo modo fieret, non modo vi presentis motionis, sed ne vi quidem alterius; propterea ut hoc quoque modo statuamus an salus nostra fuerit totalis causa finalis Christi producti, subnectenda erit discussio questionis hypoteticæ, an si salus nostra non fuisset procuranda, vel saltem non pertinuisset ad tam multa, siue peccata abolenda, siue subiecta curanda; (nimirum vel non posito originali peccato, vel exclusis actualibus, aut diffusis ad pauciores personas;) aduenturus tamen fuisset Christus, Deo ad illum producendum moto ex alio aliquo fine, qui nunc vel profusus defuerit, vel non solus mouerit; tunc autem interuenisset, aut solus Deum ad Christi productionem mouisset. Quam questionem aliqui immeditò censent inutilem cum plurimum conferre possit ad Dei bonitatem & prouidentiam perspicendam, ut monuit Catatinus l. 1. de immacul. concept. Deip. cap. 1.

Quotuplex de facto fuerit Christi finis, varia sententia.

116. Questionem de facto, quam primum discutendam proposui, dissidentium sententiarum magna varietas obscurauit; ferè ex eo nata, quod hinc Scripturæ Christum ob salutem nostram, atque adeò occasione peccati productum tradunt: inde tanta Christi excellentia, & diligibilitas præ salute nostra, & quibusvis bonis purè creatis, non videtur pati ut Christus bonum dumtaxat occasionatum dicatur: cuiusmodi sanè erit, si solius peccati causa aduenit. Itaque non pauci, ut huic incommodo medeantur, negant salutem nostram esse vnicum & solum Christi finem: sed alios præterea eius fines assignant, qui velut ex æquo, & absque subordinatione ad salutem nostram, Deum de facto mouerint ad Christi productionem. Primum quidem & præcipuè, ipsam tanti mysterij excellentiam. Deinde Christi exaltationem, perfectionem totius vniuersi, & creaturarum omnium exaltationem, sed maxime naturæ humanæ, quam ex hoc mysterio esse consecutam, egregie probat Nazianzenus orat. 36. num. 9. tractans illud Isaïæ 49. *Magnum tibi est, vocari filium meum*, quæ verba sic glossat. [Quid maius & honorificentius hominis humilitati contingere queat, quàm Deo copulari, atque ex illa mixtione Deum effici, tantumque ab Oriente ex alto visitari, ut illud etià sanctū quod gignebatur, Altissimi Filius vocaretur; eoque nomine donaretur, quod est super omne nomē, (quod portò aliud nomē illud est quàm Deus,) atque omne genu ante eum flectatur, qui nostra cau-